

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Anima x  
cum fontibus proximo et primis

O anima insignita Dei ymagine,  
decorata similitudine, desponsata in fide,  
dotata in spiritu, redempta sanguine,  
deputata cum angelis,  
capax beatitudinis, heres bonitatis,  
racionis particeps, quid tibi cum carne

nunquam uilius sterquilinium inuenisti?

Bernardus in meditacionibus et Hugo in libro  
de anima.

O anima, Dei insignita imagine,  
decorata similitudine, desponsata fide,  
dotata spiritu, redempta sanguine,  
deputata cum Angelis,  
capax beatitudinis, haeres bonitatis,  
rationis particeps, quid tibi cum carne  
unde ista pateris? Propter carnem aliena  
peccata tibi imputantur, et tuae justitiae quasi  
pannus menstruatae reputantur (*Isai. LXIV, 6*),  
atque tu ipsa ad nihilum es redacta,  
et quasi nihilum et inane reputata.  
Nihil enim aliud est caro, cum qua tanta est  
tibi societas, nisi spuma caro facta,  
fragili vestita decore:  
sed erit, quando erit cadaver miserum  
et putridum, et cibus verium.  
Nam quantumcunque excolatur,  
semper caro est.  
Si diligenter consideres,  
quid per os et nares caeterosque  
corporis meatus egrediatur,  
vilius sterquilinium nunquam vidisti.

Auctor incertus (Bernardus Claraeuallensis?),  
*Meditationes piissimae de cognitione humanae  
conditionis*, 3.7 (PL 184, col.489C-D).

O anima mea, insignita Dei imagine,  
redempta Christi sanguine, desponsata fide,  
dotata Spiritu, ornata uirtutibus,  
deputata cum angelis,  
dilige illum a quo tantopere dilecta es.

Auctor incertus, *De anima*, 11 (PL 177,  
col.182C-D).